

QUAESTIO TERTIA

[376b] Queritur utrum in sacramento eucharistiae sub speciebus panis vere et realiter existat corpus Christi. Quod non, quia, si sic, hoc fieret per conversionem panis et vini in corpus Christi. Sed talis conversio est impossibilis; ergo etc. Assumptum probo, quia quaero, tali conversione facta, utrum manet panis an non manet panis. Si manet, ergo non est transitus, nec conversus. Si non manet panis, nec est aliquid de pane generatum, igitur panis est adnihilatus. Ista consequentia patet, quia, si aliquid fuit panis, et nihil est modo panis, nec alia divisio fiebat in pane, vel ablatio partis, nec materia panis est sub alia forma, igitur panis est adnihilatus, quia non potest dici corruptus, nisi alia forma generaretur in materia panis.

Confirmatur ista ratio, quia, facta consecratione, quero utrum aliquid, quod fuit pars panis, est, an nihil, quod fuit pars panis, est. Si secundum detur, igitur nec materia, nec forma panis manet et, per consequens, panis est adnihilatus. Si aliquid quod fuit pars panis, manet, contra: aut igitur pars essentialis, aut quantitativa, aut qualitativa. Si quantitativa, cum quaelibet pars quantitativa panis sit panis, sequitur quod panis manet post consecratione. Consequens est falsum. Si essentialis, vel materia vel forma. Sed sive sic, sive sic, oportet concedere quod ibi remanet aliqua substantia distincta realiter a corpore Christi, et anima Christi, et partibus Christi, et divinitate et similiter quod non est translatio totius panis consecrati; igitur non est possibile ponere talem conversionem; igitur etc.

Praeterea, si talis conversio unius rei in aliam foret possibilis, et tamen res in quam fit conversio non auferretur, sequeretur quod Deus posset convertere totam machinam mundi in substantia muscae, vel etiam quod posset ponere quamlibet substantiam sub specie alterius. Et sic posset ponere asinum sub specie hominis, immo, pari ratione, mille asinos in specie unius hominis vel econtrario. Et sic periret omnino certitudo experientiae et generatio scientiae per experimentum, contra Aristotelem, 1 *Metaphysicae* et *Secundo Posteriorum* in fine. Patet consequentia, quia Deus potest facere substantiam sapphiri sub specie adamantis, et substantiam stellae sub specie unius herbae. Et sic semper habebimus dubitare an res demonstrata sit lapis, an lignum, an herba, an homo. Et sic, inventa hostia super altare, dubitaretur aliquando an sit consecrata an non. Nec sufficeremus ad distinguendum inter panem et non panem. Et pari ratione nec sufficeremus [377a] ad distinguendum inter hominem et non hominem. Ista consequentiae patent, quia Deus potest tales conversiones facere, cum hoc quod lateat et non constet nobis quod fecerit, et tamen credimus quod potest talia facere. Et quia non sumus certi quod non fecerit, dubitare debemus an fecerit, quia, si neque sumus certi quod fecerit, neque quod non fecerit, dubitabimus an fecerit, quia, si non dubitamus, ergo sumus certi. Sed consequens in casu est falsum; ergo relinquitur quod habemus dubitare de singulis substantiis an sint, an non sint.

Praeterea, si talis transsubstantio unius rei in aliam foret possibilis Deo, sequeretur quod Deus posset transsubstantiare hominem in lapidem, et econtrario, et, per consequens, omnia accidentia hominis manerent in illo loco in quo prius fuit homo cum substantia lapidis, sicut in sacramento altaris manet sola substantia Christi cum accidentibus panis. Et, illo posito, arguo sic secundum propositiones quae conceduntur communiter de speciebus et accidentibus in sacramento altaris, scilicet quod species panis ita vere nutriunt, descedunt et agunt in gustum, et generaliter

possunt in omnem operationem in quam posset panis, si ibi esset cum illis accidentibus. Sit ergo multitudo specierum hominis, homine converso in lapidem, 'a'; tunc arguo sic: 'a' potest in omnem operationem in quam potest homo iste qui fuit sub 'a', quia 'a' potest ridere, 'a' potest intelligere, et 'a' potest generare hominem; et sic aliquid potest intelligere, quod non est rationale. Et sic vinum, et, per consequens, non-homo potest facere quod nihil nisi homo potest facere. Sic non-homo generaret hominem, et non-homo rideret, cum tamen ridere sit proprium hominis etc. Item sequitur quod aliquis posset generari sine patre et matre, quia omnis pater est substantia, et omnis mater similiter, et multa alia sequerentur quod sunt impossibilia.

Secundo ad principale arguo sic: si sic, ergo hoc foret per consecrationem, et sic foret concedendum quod tales propositiones essent verae: 'de pane fit corpus Christi'; 'Panis potest esse corpus Christi'; 'Quod erat panis est corpus Christi', sicut videtur Ambrosius dicere, *De consecratione*, distinctione 2, *Panis* 2, et allegat Magister, distinctione 10, capitulo ultimo: „Panis est in altaris usitatus ante verba sacra, ubi accedit consecratio, de pane fit Christi caro”, ecce prima propositio. Et sequitur continue: „Quomodo autem potest quod panis est esse corpus Christi? Consecratione, quae fit sermone Christi”, ecce secunda propositio, videlicet quod panis potest esse corpus Christi. Et infra: „si tanta vis est in sermone Christi, ut inciperent esse quae non erant, quanto magis operatorius est ut sint quae erant et in aliud commutentur? Et sic quod erat panis et vinum ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem”, ecce tertia propositio. Et sequitur: „quia sermo Christi mutat creaturam et fit ex pa[377b]ne corpus Christi, et vinum cum aqua in calice permixtum fit sanguis Christi consecratione verbi caelestis”. Item communiter habentur quidam versus:

„Constat in altari carnem de pane creari,
Hic panis Deus est, qui negat hoc reus est”.

Ex primo versu habetur quod caro Christi creatur in altari, et similiter quod creatur de pane; hoc est de pane fit caro Christi in altari. Et ultra, igitur in altari fit. Ex secundo habetur ista: hic panis Deus est per consecrationem. Similiter haec est concedenda: panis est Deus.

Quod autem istae propositiones sunt falsae probatur de prima, nam sequitur: 'de pane fit corpus Christi; igitur de pane fit corpus Christi de novo'; et ultra: 'igitur corpus Christi fit'. Consequens est falsum; ergo et antecedens. Item sequitur: 'de pane fit corpus Christi; ergo corpus Christi fit de pane'; et ultra: 'igitur corpus Christi fit'. Consequentia patet, quia ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis, quia sequitur: 'corpus Christi non fit, ergo non fit de pane'.

Item: 'de pane fit corpus Christi; ergo aliquid panis erit sub forma corporis Christi'; et ultra: 'ergo aliquid quod est modo sub forma panis erit pars coporis Christi, et informabitur anima Christi'. Eodem modo arguitur contra secundam propositionem, videlicet istam: 'panis potest esse corpus Christi'; si enim sit vera, ponatur in esse; ergo vel sic ponetur in esse: 'panis est corpus Christi', vel sic: 'quod fuit panis, est corpus Christi'. Sed utraque est impossibilis. De prima manifestum est. De secunda probo: nam quaero quid hoc pronomen relativum 'quod' refert? Utrum corpus Christi, an aliud a corpore Christi? Si corpus Christi, est implicativa falsi, quia corpus

Christi nunquam fuit panis. Si aliud a corpore Christi, nihil est corpus Christi. Igitur haec est modo impossibilis: 'quod fuit panis, est corpus Christi'. Ergo tam secunda, quam tertia est falsa.

Item arguo sic: omne quod est corpus Christi, est natum de virgine, et ascendit in coelum; quod fuit panis, est corpus Christi; ergo quod fuit panis est natum de virgine, et ascendit in coelum.

Item arguo sub hac forma: omne quod erit corpus Christi est in coelo; hic panis erit corpus Christi; ergo hic panis est in coelo. Maior patet, quia tantum hoc erit corpus Christi, demonstrato corpore Christi; et ultra: tantum ens in coelo est corpus Christi; ergo omne quod est corpus Christi est ens in coelo.

Item arguo sub hac forma: omne quod potest esse corpus hoc Christi est hoc corpus Christi; iste panis potest esse hoc corpus Christi; ergo iste panis est corpus Christi. Discursus patet, quia regulatur per dici de omni, et est tertio modo primae figurae. Maior probatur, quia ab[378a]surdum est dicere oppositum, scilicet aliud ab hoc potest esse hoc, quocumque demonstrato.

Item arguo sic: aliquid erit corpus Christi quod non est modo corpus Christi; ergo aliquid erit assumptum a verbo quod non est modo assumptum a verbo. Consequentia est satis bona, et antecedens est creditum; ergo consequens est creditum. Ergo fidelis habet concedere quod iste panis assumetur a filio Dei.

Item, sub hac forma: si iste panis erit corpus Christi, quaero utrum quando erit, an quando non erit. Si quando non erit, contra: quando non erit, non erit aliquid; ergo quando non erit non erit corpus Christi. Consequentia patet. Si quando erit, ergo haec erit aliquando vera: 'panis est corpus Christi', et haec: 'panis vivit', et 'panis est caro', et multa alia falsa quae possent inferri.

Faciliter potest dici ad ista, sicut videtur Magister dicere libro 4, distinctione 8, capitulo 4, quod haec est distinguenda: „panis vel illud quod erat panis est modo corpus Christi”; eo quod potest exponi dupliciter. Uno modo, ut aequivaleat isti: 'substantia panis manens substantia panis est corpus Christi', et haec est falsa. Alio modo exponitur per istam: 'substantia panis est mutata in illud quod factum est corpus Christi'.

Sed haec responsio non videtur intelligibilis. Nam omne mutatum est aliquid manens sub utroque termino mutationis. Accipio illud, et sit 'a'. Et arguo sic: 'a' mutatum est sic quod prius fuit panis, et modo est corpus Christi; ergo aliquid est quod prius fuit panis, et modo est corpus Christi; ergo aliquid est quod primo fuit.

Item: 'a' est mutatum; sit 'a' sicut prius; quaero igitur utrum est mutatum localiter, an alteratum, et sic de singulis speciebus mutationis. Sed per nullam speciem mutationis potest verificari quod fit corpus Christi. Igitur ponere mutationem ad propositum nihil valet, ad salvandum videlicet quomodo panis potest fieri corpus Christi, vel caro.

Item, arguo sic sub hac forma: substantia panis mutata in corpus Christi est corpus Christi, sicut substantia panis est mutata in corpus Christi; sed omne mutatum aliter se habet nunc quam prius; ergo est substantia panis post consecrationem. Consequens est falsum.

Tertio arguo sic ad principale: si sub speciebus panis et vini existeret realiter corpus Christi, ergo unus oculus Christi in una hostia existens posset videre se in alia hostia, et existens sub specie panis se videret sub specie vini. Consequentiam probo, quia medium est bene illuminatum, et oculus Christi bene dispositus, et Christus summe visibilis; ergo, si ibi ab oculo videri potest, potest

et seipsum videre. Sed consequens est falsum, quia omne visum ab oculo distat a vidente, quia videtur sub quadam pyramide, cuius conus est in oculo opposito et basis in re visa. Igitur, si oculus Christi in una hostia videret Christum in alia, tunc oculus Christi videret se per lineam rectam, et eiusdem pyramidis esset idem basis et conus, quod non est imaginabile.

Item, si sic, tunc corpus in sacramento mutaret medium causando speciem in pyramide visibili, sicut si ibidem poneretur unus oculus alius aequalis virtutis, vel maioris, ille posset videre corpus Christi. Consequens est falsum et contra experimentum. Si dicatur, concedo quod oculus Christi non potest videre nec movere manum suam ibi. Contra: manus sua est ibi realiter, quia totum corpus est ibi realiter; sed manus illa est viva, igitur Christus potest movere manum et tamen una tangere aliam; igitur pari ratione potest videre manum.

Item, capio lineam longitudinis corporis Christi a vertice usque ad plantam sub pede. Et arguo sic: corpus Christi est in hac hostia, et haec linea est in hac hostia; quaero utrum est recta, an curva. Si recta, igitur cum ista sit septem pedum in longitudine, inter termino istius lineae erit distantia septem pedum; igitur in spatio minimi hominis erit quantitas septem pedum et, per consequens, in spatio certissimae partis unius pedis erit linea recta septem pedum. Si dicatur quod linea longitudinis Christi sit involuta sicut una linea gyrativa ad dimensiones hostiae, hoc nihil est, quia non est dare minimam partem sub quam corpus Christi est in hostia; et similiter gyratio figurae humanae non convenit.

Item, si corpus Christi realiter est ibi cum illis qualitatibus, igitur figura eius est ibi, quia figura eius non est nisi corpus ipsum; igitur profunditas eius est longitudo eius. Et distantia intercepta inter latera figurae est ibi; ergo, si est ibi realiter, est ibi corporaliter et localiter. Igitur inter manum et lacertum eius est unus cubitus et manus distat a pede, quia alioquin periret figura humana.

Quarto ad principale: si sic, aut debet concedi quod nos videmus corpus Christi, vel non. Si sic, contra: nullam partem Christi videmus, igitur etc. Antecedens patet, quia nec carnem, nec manum, nec faciem, si concedatur quod non videtur ibi corpus Christi verum. Contra: non minus videmus quam tangimus et tractamus, cum visus sit nobilissimus sensuum; sed nos tangimus corpus Christi verum; ergo etc. Minor probatur ex illa confessione Berengarii, quae ponitur *De consecratione*, distinctione 2, capitulo *Ego Berengarius*, ubi confitetur verum corpus Christi manibus sacerdotum tractari non tantum sacramentum, sed verum corpus Christi sensualiter manibus sacerdotum tractari et frangi, et fidelium dentibus atteri. Et pari ratione videmus ibi corpus Christi. Item, dicitur vulgariter: 'hodie vidi caput omnium sanctorum, hodie vidi corpus [379a] Christi'.

Quinto ad principale: si sic, hoc foret per consecrationem, sed consecratio non fit nisi sacerdos intendat consecrare, ergo requiritur intentio sacerdotis. Pono ergo quod sacerdos habeat coram se octo hostias, de quibus non intendat consecrare nisi duas, et ita cogitet penes se sic: 'duas tantum de istis volo consecrare'. Quo posito, quero utrum consecravit, an non. Si non, contra: hic est forma debita et materia et intentio faciendi quod Ecclesia facere consuevit, ergo etc. Item, si non, hoc non foret nisi quia intentio talis videtur generalis, vel vaga, vel indeterminata, sed hoc non impedit. Nam dato quod sacerdos intendat distincte consecrare hanc hostiam, oportet

necessario concedere quod ipse intendit consecrare infinitas partes istius hostiae distinctae. Quod non potest intendere distincte, cum non possit consecrare unam una intentione, et post aliam alia intentione, et sic in infinitum; igitur sufficit generalis intentio et indistincta. Similiter sacerdos communiter die Pascae consecrat multas, vel centum, vel mille, sed non potest simul cogitare de qualibet distincte; igitur sufficit intentio generalis. Si dicatur quod consecravit, contra: tantum duas de istis intendebat consecrare, sed non est maior ratio quare has duas consecravit quam illas; igitur vel consecravit omnes, vel nullas. Non omnes, quia intendebat contrarium illius.

Item, pono aliquem sacerdotem qui credit continuum componi ex indivisibilibus, et habeat coram se unam hostiam, quam credit esse compositam ex quinque indivisibilibus praecise, et volo quod ipse intendat consecrare hodie unum indivisibile, et cras secundum, tertia die tertium, ita quod quinto die vult quod tota hostia sit consecrata. Isto posito, quaero utrum consecravit, an non. Si non, contra: intendebat consecrare panem, et protulit verba sacramentalia, ergo consecravit; vel fiat argumentum de una hostia divisa in quinque partes, et sic eodem modo procedatur de quinque diebus. Si concedatur quod consecravit, contra: nunquam intendebat consecrare aliquam partem istius; igitur nunquam intendebat consecrare hanc hostiam. Antecedens patet, quia haec hostia non componitur ex indivisibilibus in rei veritate.

Item, nullum panem intendebat consecrare, quia nullum indivisibile est panis; sed tantum indivisibile intendit consecrare, ergo etc.

Item, habeat aliquis sacerdos coram se unum panem, et intendat consecrare medietatem propinquiorem sibi, quae dicatur prima pars proportionabilis, et communiter tertiam, quintam et septimam, et sic de aliis partibus proportionabilibus denotatis, vel demonstratis a numero impari, et nullo modo alias intendat consecrare. Quo posito, sequitur quod ille consecravit infinitas hostias, quarum quaelibet distat ab alia per unum panem, ita quod [379b] inter quascumque intercipitur unus panis. Et sequitur similiter quod iste fecit infinitos panes in actu, quorum quilibet est alteri discontinuus et disiunctus, ita quod inter quascumque et quoscumque mediat unus homo, quia Christus. Similiter, isto posito, pono quod aliquis tangat partem superficiei remotioris partis; quaero utrum tangat corpus Christi, an non. Si sic, ergo est dare ultimam partem proportionabilem secundum talem denotationem. Consequens est falsum; igitur. Si non, ergo tangit panem; ergo in quacumque parte panis versus illam superficiem est alia pars proportionabilis proportionem denotata a numero impari, ut patet; ergo tangit partem consecratam.

Praeterea, sit aliquis sacerdos haereticus, qui velit consecrare de carne, sicut legitur quod quidam voluerunt consecrare de pane et de caseo, et decipiatur unus talis. Et sit panis illud quod existimat esse carnes, et dicat verba consecrationis; quaeritur utrum conficit, an non? Si non, contra: nihil impedit nisi forte intentio erronea; sed illa non impedit. Probo, quia intendit consecrare hoc, et hoc est panis, ergo panem consecrat. Si dicatur quod sic, contra: tantum intendit consecrare carnem, ergo non intendit consecrare panem; et ultra: ergo non intendit consecrare hoc.

Item, pono quod sacerdos consecrat omnes panes in una fenestra unius panetarii, et postea furetur illas species. Et tunc, si agatur contra eum quod furatus est panes suos, numquid potest licite negare? Videtur quod sic, quia certum est quod hoc est falsum, et licet negare falsum.

Item capiat sacerdos in die Pascae pro centum parochianis unam summam hostiarum, ubi novit esse centum hostias et amplius, sed nesciat quot ultra, et intendat solum consecrare centum proferens super hostias formam consecrandi; quaero utrum consecrat, an non. Et est eadem forma quae prius. Ultra, intendat sic: 'volo consecrare omnes istas hostias, si tot habeam parochianos'.

Item, si intentio requiritur, ergo quilibet communiter in elevatione habet dubitare an sit hostia consecrata, an non. Et si absolute adorat, videtur peccare, quia adorat adoratione laetiae rem de qua dubitat an sit adoranda; ergo videtur quod quilibet habet adorare sub conditione. Consequens est falsum et contra ritum Ecclesiae.

Sexto ad principale: si sic, ergo dictum Ambrosii foret falsum et ponitur a Magistro, libro 4, distinctione 12, capitulo 2: „Nihil falsi putandum est esse in sacrificio veritatis”, quia forma consecrandi est propositio falsa. Probo, quia, cum sacerdos dicit: 'hoc est corpus meum', quaero quid demonstrat [380a] ly 'hoc'. An corpus suum? Et hoc non est ad propositum. An corpus Christi in coelo? Et tunc dicit falsum. Similiter, si demonstrat panem, dicit falsum; ergo nullo modo dicit verum. Dicitur ad illud communiter quod sacerdos dicit ista verba recitative in persona Christi, et tunc simul dicit ea recitative et significative respectu materiae sibi praesentatae. Sed quaeritur quid demonstratur per hoc pronomen 'hoc'. Dico quod illud quod manet sub utroque termino transmutationis, et est illud quod est accidentia sensibilia et nulla substantia. Unde sensus est: 'hoc contentum sub his speciebus est corpus meum'. Et haec est causa quare non additur aliquod pronomen illi pronomini demonstrativo, ne ad aliquam speciem substantiae determinetur. Unde secundum eos istud pronomen 'hoc' non demonstrat terminum a quo istius conversionis, quia eius significatio impediret veritatem propositionis totius, cum terminus a quo non maneat in ultimo instanti locutionis. Nec etiam demonstrat terminum ad quem transsubstantiationis determinatae, quia iam significatum locutionis praesupponit entitatem rei significatae, scilicet corporis Christi, et non esset aliquo modo eius causa. Et ideo dicunt quod demonstrat hoc quod est commune utrique termino indeterminate. Unde sensus est: 'hoc contentum sub istis speciebus est corpus meum'. Haec est sententia sancti Thomae, 4 libro, 8 distinctione, articulo 16, in responsione ad primum argumentum.

Sed arguitur sic contra ista: suppono quod termini et orationes supponant pro ultimo instanti prolationis eorum, ac si essent in illo instanti, cum tamen non sint. Sit ergo 'a' instans terminus prolationis istius propositionis: 'hoc est etc.', Et arguo sic: quicquid significat illud pronomen 'hoc' in hac oratione, est demonstratum in 'a' per illud pronomen; aut igitur illud est corpus Christi, vel panis. Si corpus Christi, ergo corpus Christi est ibi ante finem prolationis formae, et sic erit transsubstantiatio ante prolationem aliorum verborum, et sic illa non essent de forma. Si est panis, tunc propositio est falsa, quia denotatur quod panis est corpus Christi. Ideo, si istae voces habent virtutem consecrandi, quia proferuntur a sacerdote super debitam materiam, quaero an talis virtus consecrandi competat illis verbis, quod tales sunt, sicut idem evenisset ante institutionem.

Similiter, si sic, ponatur quod cadant a sua significatione: adhuc poterit sacerdos dicendo voces non significativas consecrare.

Item, si sic, ponatur quod in aliqua lingua barbarica haec propositio modo convertatur cum ista 'Sortes currit'. Tunc sacerdos barbaricus consecrat dicendo 'Sortes currit' seu 'Sortem currere', quia vere diceret has voces 'hoc est corpus meum'. Item Christus non protulit haec verba, quia non loquebatur latinum. Si datur quod hoc [380b] competit eis non quia sunt tales voces, sed quia sunt sic significative, contra: si institueretur ille terminus 'a' ad significandum convertibiliter cum ista propositione 'hoc est corpus meum', posset sacerdos consecrare proferendo hanc vocem 'a'. Similiter tunc posset homo mutare formam sacramentorum, quia significata orationum, ut patet.

Praeterea, non intelligat sacerdos quid significet verba, et nullus alius audiat; tunc verba nihil significant. Probo, quia nulli significant.

Praeterea, in ista conversione terminus a quo non manet in fine prolationis verborum, nec terminus ad quem est in principio; ergo nihil est contentum quod posset demonstrari.

Praeterea, contra hoc quod dicitur, quod commune utrique termino demonstratur, arguitur sic: nihil est commune corpori Christi et pani, nisi forte vox, vel conceptus aliquis qui non demonstratur; certum est. Si dicatur quod illa collectio specierum est communis utrique successive per modum istum, quia primo multitudo est simul cum substantia panis et postea cum corpore Christi, contra: illa responsio non salvat viam istam. Nam secundum viam illam per illud pronomen 'hoc' non demonstratur multitudo illarum specierum, quia redderent locutionem impossibilem, eo modo ac si demonstraretur panis, quia ista accidentia nunquam possunt esse corpus Christi; ergo non potest dici quod illud commune utrique termino demonstratur.

Item dicit illa via quod illud commune quod demonstratur est aliquid contentum sub istis speciebus, ita quod sensus istius propositionis sit iste: 'aliquid contentum sub istis speciebus est corpus Christi'. Contra arguitur sic: nihil est contentum sub istis speciebus successive nisi corpus Christi, vel aliqua substantia. Non corpus Christi, quia esset tunc ibi corpus Christi ante prolationem verborum. Si secundum, redderetur locutio falsa. Et stat commune argumentum quod ipse nititur solvere.

Praeterea, secundum illam viam sensus propositionis est iste: 'contentum sub istis speciebus est corpus meum'. Sed haec est una indefinita. Ergo, si est vera, habet aliquam singularem veram; aut ergo habet istam: 'hoc est corpus meum', demonstrato pane, quod est falsum; vel istam, demonstrato corpore Christi in coelo: 'hoc est corpus meum'. Si sic, non efficerent ista verba quod significant, quia non efficiunt quod corpus Christi sit corpus Christi, sed quod panis fiat corpus Christi.

Praeterea, istae duae indefinitae convertuntur: 'contentum sub istis speciebus est corpus meum' et 'substantia quae sub istis speciebus continetur est corpus meum'. Quaero ergo pro quo subiectum supponit. Ex quo est propositio affirmativa, oportet quod subiectum et praedicatum supponant pro eodem; ergo oportet dicere quod pro corpore Christi; ergo pro termino ad quem istius conversionis; quod negat ista opinio.

Si dicitur, sicut dicit Scotus tenens hanc viam, quod quodlibet universale habet suum proprium singulare et suum proximum contentum sub se, sicut hoc 'commune ens' habet [381a] suum singulare, 'hoc ens', et hoc 'commune substantia' 'haec substantia', et sic de aliis, et ideo in

ista propositione: 'hoc est corpus meum', sensus est: 'hoc ens commune demonstratum sub istis speciebus est corpus meum'.

Sed haec responsio non valet, quia, licet illae propositiones differant in voce, demonstrato forte: 'hoc ens est homo', 'haec substantia est homo', 'hoc animal est homo', et licet hic sint tres propositiones singulares, quarum nulla est alia, tamen omnia ista supponunt pro eodem, scilicet pro Sorte, et impossibile est quod prima sit vera, nisi quaelibet sit vera, si formetur. Et ideo, si haec sit vera: 'hoc ens contentum sub istis speciebus est corpus meum', oportet quod quaelibet talis sit vera: 'haec substantia contenta etc. est corpus Christi'; quia quaero pro quo supponit, et redit tota difficultas.

Septimo ad principale: si sic, panis mutaretur in corpus Christi, secundum Ambrosium dicentem quod sermo Christi creaturam mutat, *De consecratione*, distinctione 2, *Panis*, 2. Contra: ille panis mutabitur in hoc corpus, hoc corpore non moto localiter; ergo panis ascendet in coelum. Confirmatur idem *De consecratione*, distinctione 2, capitulo *Quid sit sanguis*: eodem momento in coelum rapitur ministerio angelorum sociandus corpori Christi, et ante oculos sacerdotis in altari videtur; ergo ille panis ascendit in coelum.

Octavo, si sic fieret talis conversio in corpus et sanguinem Christi, sequeretur quod fieret in idem corpus et in eundem sanguinem quem assumpsit Christus de virgine, et pependit in cruce, et ascendit, et modo unitur verbo, *De consecratione*, distinctione 2, *Omnia quaecumque*, et est Ambrosii liber *De sacramentis*, et allegat Magister distinctione 11, capitulo 4; sed consequens est impossibile. Probo, quia non est idem corpus quod modo est in coelo, et quod est in utero virginis. Hoc patet, supposito quod Christus fuit vere nutritus, et vere comedit et bibit. Tunc capio partes aggeneratas per nutritionem quando erat 30 anorum et arguo sic: ille partes nunquam fuerunt in utero virginis Mariae, igitur illud corpus nunquam fuit in utero virginis. Consequentia patet, quia hoc corpus est omnes illae partes.

Praeterea, tunc illud corpus quod fuit in utero virginis, fuit in triplo minus quam sit hoc corpus in coelo. Consequentia patet, quia hoc corpus fuit in principio minus quam est corpus in coelo, sed non tota substantia quae modo est in coelo fuit in utero virginis, quia tunc corpus Christi fuisset densius et durius in utero virginis quam quando fuit 30 anorum.

Praeterea, quod non sit idem sanguis quem ipse effudit et quem modo habet, patet, quia quidam dicunt se habere de sanguine quem tunc effudit; ergo aliquem sanguinem non resumpsit in resurrectione. Confirmatur *De consecratione*, distinctione 2, capitulo *Prima quidem*: „non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem quem effusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, quod spiritualiter intellectum vivificabit [381b] vos”. Contrarium habetur capitulo *Accesserunt* et est Augustini loquens ad Iudeos: „iam securi bibite sanguinem quem fudistis”; et capitulo *Quia corpus*: „invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui, verbo suo, secreta potestate convertit etc.”; et Ambrosius, capitulo *Omnia*: „nam licet substantia panis et vini videatur, nihil aliud tamen quam caro Christi et sanguis post consecrationem credendum est. Unde ipsa veritas ait ad discipulos: haec, inquit, caro mea est pro mundi vita. Et ut mirabilius loquar, non alia plane quam qua nata est de Maria”; et infra in fine capituli: „illud sane quod sumptum est de virgine, quod passum est et

sepultum, quod resurrexit et in coelum ascendit, et sedet ad dexteram dei patris, et quod venturum est iudicare vivos et mortuos”; et capitulo *Nec Moyses*; et est Hieronimi: „ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur”; idem capitulo *De hac*: „de hac quidem hostia, quae in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet, de illa vero quam Christus in ara crucis obtulit secundum se, nulli edere licet”.

Nono, si sic, ergo Christus confecisset, et corpus suum discipulis tradidisset, et eis dedisset potestatem consecrandi, et sic essent veri illi versus:

„Rex sedet in cena turba cinctus duodena.

Se tenet in manibus, se cibatur ipse cibus”.

Sed consequens est falsum, quia Christus aut recepit hoc sacramentum solum sacramentaliter, aut sacramentaliter et spiritualiter, sicut distinguit Magister. Si tantum sacramentaliter, ergo minus fructuose sumpsit quam Apostoli, nec aliter manducavit Christus quam Iudas. Si sacramentaliter et spiritualiter, ergo gratia augebatur in Christo, quia in omni eo qui recipit sacramentum spiritualiter augetur gratia. Consequens est falsum, ergo.

Praeterea, si sic, ergo quilibet sacerdos posset modo conficere nobilius corpus Christi quam Christus confecit. Consequentia patet, quia corpus glorificatum est nobilius quam ipsummet foret si non esset glorificatum; sed Christus confecit et dedit discipulis corpus non glorificatum sed passibile.

Praeterea, si manducavit corpus suum, ergo illud fuit intra se et extra se simul et semel.

Praeterea, si contulit discipulis suis potestatem consecrandi, ponatur quod aliquis consecrasset sabbato quando requievit in sepulcro; talis non confecisset illud sacramentum quod nos conficimus modo, quia sub speciebus illis non fuisset corpus vivum, nec fuisset totus ille sanguis qui est modo in sacramento nostro, quia tunc sanguis fuit divisus a corpore.

Praeterea, ipse dixisset falsum, immo, si anima Christi tunc dixisset: 'hoc est corpus meum', falsum dixisset; quia tunc nullum corpus fuit animae Christi; ergo nec corpus Christi.

Praeterea, ponatur quod aliquis confecisset post cenam, et reservasset hostiam in aliqua domo quae sit 'a'. Haec tunc fuisset vera: 'feria sexta, hora nona, aliquis moritur [382a] in 'a'', quia sequitur: 'Christus moritur et Christus est in 'a'', ergo Christus moritur in 'a''. Igitur, si fuissent mille hostiae in mille locis, Christus fuisset crucifixus in mille locis. Similiter, si haec foret vera: 'anima Christi, hora sexta, recessit de 'a'', eodem modo quo dicimus quod anima Christi descendit ad inferos.

Praeterea casu retento, pono quod, tempore illo quo anima Christi fuit separata a corpore, venisset sponte ad species illas existentes in 'a' domo, et fuisset simul cum corpore sub istis speciebus. Tunc aut corpus Christi fuit animatum in 'a', vel non. Si sic, et idem corpus numero est mortuum in sepulcro, ergo idem erit vivum et mortuum. Si non, contra: haec anima est simul cum corpore indistincte; ergo faciunt per se unum, et anima est actus istius corporis.

Decimo ad principale: si sic, ergo manent accidentia sine subiecto. Antecedens videtur falsum, quia species illae vere nutriunt, sed omne quod nutrit, nutrit inquantum substantia, et auget in eo quod quantum, ut dicitur 2 *De anima* et *De generatione*; ergo, si nutriunt, est ibi substantia.

Praeterea, si ipsae species nutrire possunt, ergo sunt cibus distinctus a corpore Christi; ergo qui comedit illas species, comedit cibum coctum et, per consequens, solvit ieiunium naturae. Ergo percepta hostia sub speciebus panis, non licet percipere corpus Christi sub speciebus vini. Ergo praeceptum Ecclesiae non servatur, quod tantum a ieiunis sumatur, *Extra*, articulum necessitatis *De consecratione*, distinctione 2, capitulo *Liquido*. Confirmatur: posito quod sacerdos tota die parasceves comederet hostias consecratas, nunquam solveret ieiunium Ecclesiae. Vel ponatur quod sacerdos consecret totum vinum in amphora, et totum in taberna bibendo inebriaretur et sic videtur solvere ieiunium naturae, vel posset ieiunare in aeternum et comedere omni die millies; ergo nunquam potest sumere corpus Christi sub speciebus panis et vini, nisi solvendo ieiunium naturae.

Praeterea, pono quod ignis approximetur illis speciebus, et generet ex eis ignem qui fit 'a'. Hoc potest fieri, sicut patet ad sensum. Aut ergo ignis 'a' habet materiam, vel non. Si non, tunc non est ignis, cum ignis componitur ex materia et forma. Si sic, quaero utrum illa materia praefuit, an producitur ab igne generante? Si praefuit, ergo sub illis speciebus fuit substantia alia, quia materia substantialis. Consequens est falsum, quia, si producatur forma substantialis, producitur sine materia; ergo de nihilo; ergo ignis de nihilo potest causare ignem. Si dicatur quod praefuit in aliquo alio composito, hoc non est ad propositum, quia pono quod ignis tantum agat in hostiam consecratam, et non corrumpat aliquid aliud; ergo oportet imaginari quod forma substantialis ignis producatur sine materia, quod fieri non potest.

Praeterea, si species illae moverentur, esset dare motum sine mobili, [382b] et alterationem sine alterabili, contra Aristotelem, 3 *Physicorum*. Consequentia patet, quia, dato quod species rarefieret, vel condensaretur, planum est quod utrumque potest fieri in eis, et tamen non est hic subiectum. Si dicitur quod qualitates ipsaemet sunt subiectum rarefactionis, contra: ergo rarefactio non est nisi illae qualitates, et sic motus est motus moti, contra Philosophum, 3 *Physicorum*.

Praeterea, si sic, tunc corpus Christi inciperet esse ubi non fuit sine motu locali et sine nova consecratione, quia, rarefacta hostia, ipsa est maior quam fuit; ergo occupat maiorem locum; ergo Christus est in alio loco quam prius; ergo Christus est motus localiter sine motu locali; quod non est imaginabile.

Praeterea, quando hostia movetur localiter, aut corpus Christi movetur localiter, aut non. Si non, contra: corpus Christi est in loco in quo prius non fuit, et dimisit aliquem locum in quo prius fuit; ergo mutatur secundum locum. Similiter modo est hic, et prius fuit alibi, et non hic; ergo motus fuit hic.

Si conceditur quod corpus moveatur ad locum hostiae, sequuntur inconvenientia, quia, cum unus sacerdos simul et semel elevat corpus quando alius deponit, idem simul ascendet et descendet. Similiter, idem corpus aequae velociter movebitur ad occidentem et orientem. Similiter quiescet et movebitur, quia corpus Christi quiescet in coelo, et movebitur in altari. Similiter, tu qui es Londoniae, haberes dubitare an aliquis homo sit Romae conversus in te. Et tunc illa multitudo accidentium illius possunt currere, sicut argutum fuit in primo principali.

Ad oppositum istius est fides catholica, sicut patet *De consecratione*, distinctione 2, capitulo *Ego Berengarius*, et per totam distinctionem secundam. Item, *Extra*, *De celebratione Missarum cum Marthe*.

Ad quaestionem sine dubitatione dicendum <est> quod sic, cuius credulitatem persuadeo sic: suppono unam propositionem Augustini in quadam epistola ad Volusianum, quae talis est: „dicamus Deum aliquid posse quod nos fateamur investigare non posse”. In rebus talibus tota ratio facti est potentia facientis. Unde accipitur una propositio communiter in scholis: quod in rebus mirabiliter factis tota ratio facti est potentia facientis, et loquitur de eius incarnatione et eius nativitate.

Ex quo arguitur sic: Deus potest facere plus quam possumus intelligere, et potest facere cuius modum et causam non possumus investigare. Ergo ista consequentia non valet: 'homo non potest declarare sufficienter quod sub speciebus panis et vini existat realiter corpus Christi; ergo non potest sic esse in re, vel non debet sic credi', nam ex quo indubitanter credimus Deum plus posse facere quam nos possumus ex naturalibus investigare. Consequens est quod in iis quae dicit nobis esse credenda captivemus intellectum. Et hoc est mirabile quod Deus velit nos in quibusdam singularibus ab eo institutis captivare intellectum nostrum, cum intellectus noster sit tam debilis, quod non sufficit cuiuscumque rei minimae, demonstrando naturam appraehendere. Et ideo investigare desinimus rerum naturas, et in earum operationibus admiramur, quia, sicut eas videre sumus usitati, sicut dicit beatus Augustinus et Gregorius, et ideo dicendum <est>, sicut Magister dicit distinctione 3, capitulo 5: „mysterium fidei credi salubriter potest, investigari salubriter non potest”. Quod non est sic intelligendum quod homo non debeat circa illa quae sunt fidei arguere, sed quod non debet affirmare se posse rationem perfectam assignare.

Secundo, dico quod quantum ad transubstantiationem sive conversionem unius substantiae in aliam, non magis repugnat rationi, quam multae transformationes, quas non solum vulgus, sed philosophi crediderunt, sicut narrat Augustinus, 18 *De civitate <Dei>*, 17, adducens auctoritatem Varronis, quem fidelissimum et doctissimum historiographum quidam reputabant. Verba Augustini sunt huius modi: „hoc Varro ut astruat, commemorat alia non minus incredibilia de maga illa famosissima Circe, quae socios quoque Ulyssis mutavit in bestias, et de Arcadibus, qui sorte ducti transnatabant quoddam stagnum, atque ibi convertebantur in lupos, et cum similibus feris per illius regionis deserta vivebant. Si vero carne non vescerentur humana, rursus post novem annos, eodem renatato stagno, reformabantur in homines. Denique etiam nominatim expraessit quamdam Dementum, cum gustasset de sacrificio quod Arcades, immolato puero Deo suo Lyceo, facere solent, in lupum fuisse mutatum, et anno decimo in figuram propriam restitutum ad pugillatum sese exercuisse, et Olympiaco vicisse certamine”, Et reliqua. Item de sociis Ulyssis in feras mutatis refert Boethius, 4 *De consolatione <Philosophiae>*, metro 13: „vela Naricii ducis etc.” Et *Sacra Scriptura* docet uxorem Loth conversam in statuam salis, *Genesis*, 19. Unde transubstantiatio panis in corpus non est minus credibilis quam ista.

Tertio, dico quod est admirabile in hoc sacramento quod Christus est sub qualibet parte specierum totus, ita quod illa substantia est tota in diversis locis simul et semel, et tota in toto, et tota in qualibet parte. Simile patet de anima intellectiva secundum Philosophum. Sic etiam debet intelligi quod intelligentiae sunt animae orbium, quia sunt in qualibet parte orbis, ita quod angelus est in qualibet parte in suo orbe totus. Et sic etiam tenuit Commentator, *De substantia orbis*: primo, ubi dixit quod formae corporum super coelestium non dividuntur secundum divisionem sui

subiecti, nec recipiuntur mediantibus corporalibus dimensionibus subiecti, scilicet coeli, nec moventur ad motum sui subiecti, sicut etiam ponunt moderni [383b] theologi angelum esse in loco diffinitive, ita quod sit totus in qualibet parte illius loci. Sicut ponit Commentator, 3 *De anima*, commento 5: „unum intellectum numero in omnibus hominibus”, quem posuit naturam quamdam universalem abstractam. Quod non est minoris difficultatis intelligere, quam corpus Christi simul et semel esse in multis altaribus sub sacramento.

Sed dicitur quod organizatio partium impedit. Dico quod non, quia sufficienter est distinctio realis, licet ibi non sit distantia localis inter partes.

Ad quaestionem igitur dicendum est quod sic. Et licet creduntur adduci posse rationes, non tamen congruit ut adducantur, nec sufficienter adduci possunt, quia in factis mirabilibus et miraculosis tota facti ratio est potentia, scientia, et voluntas facientis. Paucis tamen persuasum est corpus Christi esse realiter in sacramento altaris sub speciebus panis et vini. Verumtamen ad maiorem declarationem istius materiae facienda sunt quinque puncta principalia.

Primo dicendum est quid est forma, pro quo sciendum quod non est nimis logice loquendum in ista materia, quia verum est quod nulla verba sunt necessaria, vel necessario requisita ad consecrandum corpus Christi, quia nec proferenda ab isto, nec ab illo, et sic de singulis. Similiter nec requiritur latinum, nec graecum, nec gallicum, nec anglicum, sed tamen requiritur aliqua lingua. Similiter, nullus panis necessario requiritur, sed necessario requiritur panis. Et sic communiter loquendum est in ista materia de forma, de materia, de intentione, de ministro. Est ergo forma duplex, quia forma sacramentalis super hostiam est: 'hoc est enim corpus meum'; licet sine illa coniunctione 'enim' possit confici, tamen nullus debet illam dimittere. Peccaret enim mortaliter qui illam dimitteret ex proposito. Forma vero super vinum: 'hic est enim calix etc.'.

Quantum ad secundum est sciendum quod triplex est materia quae ad hoc sacramentum requiritur, scilicet panis, vinum, et aqua. Panis debet esse triticeus pro maiori parte, ita quod sensibiliter nihil appareat nisi triticum. Secundo, debet esse azymus intra Romanam Ecclesiam, licet possit confici de fermentato – vide Thomas in ultima parte *Summae <Theologiae>*, quaestione 73, articulo 4: „vinum sive album, sive rubeum sufficit”. Aqua elementaris debet esse, et non artificialis. Tamen, si artificialis esset, consecraretur – vide de hoc in *Summa confessionis*, libro 3, capitulo 24: „aqua debet misceri cum vino in calice, nec sufficit mixtio in dolio”.

Tertio, solus sacerdos est minister, vel alius qui tamen sacerdos est reputatus, quod dico propter non baptizatos, vel non ordinatos. Durum enim esset si Ecclesia in collatione sacramentorum deciperetur in talibus qui essent ordi[384a]nati ab aliquo episcopo qui non esset ordinatus seu baptizatus. Durum inquam esset dicere quod tales non absolverent nec consecrarent, quia sic peccatores essent defraudati, et multa inconvenientia possent sequi. Et ideo vel oportet dicere quod consecrarent, vel quod in illo homine consecrat ipse Deus, et sic sine ministro conficeretur sacramentum. Quod istorum sit verius, sine revelatione sciri non potest.

Quarto, videndum est qualiter transmutatio differat ab aliis transmutationibus. Differt autem in quatuor. Primo, quia nihil conversi manet sub utroque termino. Secundo, quia illud in quod panis convertitur, scilicet corpus Christi, in nullo augetur, nec mutatur. Tertio, quod proprie loquendo nihil hic mutatur, quia nihil se habet aliter quam prius, nisi dicatur quod corpus Christi

mutatur localiter improprie, ut mutari localiter nihil dicat plus nisi aliquod corpus esse de novo ubi prius non erat. Non tamen localiter, vel circumscriptive, ubi prius non erat localiter, vel locum dimittere ubi prius erat localiter. Sed manifestum est quod panis non mutatur, sicut patet inducendo omnes species mutationis, nisi dicatur corrumpi. Sed hoc dici non potest, quia in corruptione materia non mutatur, sed manet sub alia forma. Quarto differt ab aliis mutationibus, quia omnia accidentia post transsubstantionem manent; quod non est in aliis transmutationibus. Ex quo patet quod accidentia substantiarum materialium sunt alia et distincta ab ipsis substantiis; non tamen hoc semper tenui, quia aliquando dicebam oppositum, id est quod album non potest fieri nigrum nisi per corruptionem substantiae, vel per motum localem substantiae, vel substantiarum, sicut in mixtionibus quod una mixtio causat unum colorem et alia alium; tamen potest dici quod post consecrationem nihil manet ibidem continue et regulariter, sed intentiones solum et species accidentium. Unde solebant vocari species panis et vini, et non qualitates post consecrationem. Et ideo sensus utitur speciebus pro rebus, et sic iudicat idem manere; nihil tamen dico hic assertive.

Quinto restat solvere quosdam casus circa istam materiam. Ponatur ergo quod aliquis sacerdos obligatur ad unam missam specialiter pro 'a', postea est obligatus ad aliam pro 'b'. Numquid per unam missam potest pro utroque liberari? Dico primo ad formam quaestionis. Secundo, ad intentionem.

De primo sine distinctione dico quod non, quia casus est quod sit primo ad unam missam obligatus, et postea ad aliam. Unde arguo sic: nullus obligatus ad quatuor missas potest sufficienter solvere duas celebrando, sed ille per casum est obligatus ad duas missas; ergo. Maior patet, quia, si non, eadem ratione, si [384b] esset obligatus ad tres, posset sufficienter solvere celebrando unam tantum; et pari ratione, si ad mille, quod est omnino irrationabile, quia sic obligatus ad quaecumque anniversaria, vel ad quascumque annuatim celebrandas satisfacere posset per unam missam. Si tamen ponatur quod obligatur duabus personis 'a' et 'b', sub hac forma quod unicuique dicat: 'sic et non aliter legam tibi unam lectionem', tunc casus mutatus est, et possum satisfacere per unam, quia non obligo me ad duas lectiones, sed duabus personis. Sed pono aliam formam.

Si ponatur quod sacerdos obliget se ad dicendum quinque missas principaliter pro anima Petri, et aliam pro anima Ioannis, numquid potest satisfacere per unam missam pro utraque anima? Et videtur quod non.

Ad cuius evidentiam expono quid voco missam celebrare principaliter pro aliquo. Et videtur mihi quod celebrare principaliter est applicare missam Ioanni, quod sit quaedam satisfactio apud Deum pro anima Ioannis, si indigeat. Dico ergo quod celebrare principaliter pro anima Ioannis potest intelligi dupliciter. Uno modo, quod intendat quod missa sua valeat multis, ita quod velit satisfacere pro multis, et simul intendat quod plus valeat animae Ioannis quam alicui de reliquis. Et sic vere dicitur ad virtutem vocis quod celebrat missam principaliter pro alio. Alio modo, quod applicet missam sic quod cedat animae Ioannis in satisfactionem, et nulli alii cedat in satisfactionem, nec per modum satisfactionis; et isto modo dico quod per unam non potest satisfacere utrique.

Contra: ponatur quod intendat celebrare aequae principaliter pro utraque; tunc pro neutra celebrat principaliter, quia aliud est dicere 'ille celebrat principaliter pro utraque', et 'ille pro

utraque principaliter celebrat', quia prima aequivalet isti: 'iste celebrat principaliter pro istis', et hoc est possibile, et tunc non facit secundum casum obligationis prius positae. Secunda aequivalet isti copulativae: 'iste celebrat principaliter pro isto', et 'iste celebrat principaliter pro illo', quod est impossibile facere per unam missam.

Sic patet quid dicendum <est> ad quaestionem qua quaeritur an missa dicta pro multis tantum valeat cuilibet eorum, ac si specialiter celebraret pro uno. Et, posito quod quilibet eorum indigeat, dico quod non, quia valor missae per modum satisfactionis cedet cuilibet in partem satisfactionis apud Deum secundum aequalem proportionem et secundum numerum personarum; et, per consequens, quanto plures fuerint, tanto unusquisque minus habebit, quia valor missae est virtutis finitae existenti in purgatorio. Si autem sufficeret una [385a] ad satisfactionem faciendam pro omni debito in quo tenerentur quicumque homines obligati ad quamcumque poenam in purgatorio, sic frustra dicerentur plures missae; quod non videtur verum.

Praeterea, si missa generaliter dicta pro centum tantum valet unicuique, quantum si esset dicta specialiter et principaliter pro uno solo, irrationabiliter permetteret Ecclesia celebrari specialiter pro uno, et sic tota Ecclesia erraret, quia sic posset tantum valere omnibus sicut uni; et hoc loquendo de valore per modum satisfactionis. Unde sciendum quod missa, vel quaecumque oratio facta in Ecclesia pro defuncto potest dupliciter sibi valere: vel per modum supplicationis, et sic potest aequaliter valere unicuique, ac si specialiter pro uno fieret; vel per modum satisfactionis, ut sit pars satisfactionis debitae Deo a defuncto, et sic non potest secundum casum omnibus valere aequaliter. Et est exemplum: pono quod 10 obligentur regi, quilibet in decem libris; si quis liberet eos per orationem apud regem, manifestum est quod tantum prodest oratio unicuique quantum si fuisset specialiter pro uno; sed si liberet eos per modum satisfactionis, et solvat regi 10 pro eis, manifestum est quod minus valebit haec satisfactio cuilibet, quam valeret si pro uno specialiter solveretur, quia, si specialiter pro uno solveretur, posset eum totaliter liberare. Quod modo non est verum, quia tunc non satisfacit pro aliquo istorum nisi secundum proportionem quae sibi potest provenire de decem divisus inter decem partes. Et sic non reciperet nisi unam libram, et sic quantum ad plenam summam regi pro singulis tantum pro decima parte satisfecit. Similiter ergo Ecclesia intendit per missas non solum impetrare remissionem poenae per modum supplicationis solvendo pro eis, sed etiam per modum satisfactionis solvendo pro eis Deo. Ideo non tantum valet missa per modum satisfactionis.

Contra tamen potest verisimiliter argui: si enim dicatur quod missa tantum valet per modum orationis illis pro quibus fit, tunc esset possibile quod tantum valeret unicuique de decem, sicut si fieret pro uno tantum. Iudicando autem de Deo secundum conditiones humanae politiae, non videtur verisimile quod Deus aeque faciliter concederet supplicationem quae peteret remissionem **concessam** debitorum, sicut supplicationem aequae intensam quae fit tantum pro uno debitore, quae procedit a simili charitate. Ideo, pro nunc existimo quod missa, regulariter loquendo tam per modum orationis quam per modum satisfactionis, plus valet uni si fiat singulariter pro eo, quam si fiat generaliter pro eo et pro aliis, licet per modum orationis possibile sit, si placeret Deo, quod aequaliter valeret, ut dictum est. Ex istis sequitur quod obligatus ad cele[385b]brandum unum annuale vel centum missas singulariter pro 'a', non potest in illis missis celebrare principaliter pro

'b'. Secus tamen est, si sit obligatus ex conventionem quod debeat celebrare pro illo, sic tamen quod liceat sibi adiungere aliquos, puta duos, vel tres, vel plures, quia tunc potest alios adiungere, sed non tantum valet 'a' quantum si pro solo fuisset celebratum. Sed nunquid parochialis obligatus orare solummodo pro parochianis Ecclesiae cui servit potest adiungere aliquem amicum ad parochianos, sub hac intentione ut missa cedat in satisfactionem pro omnibus parochianis? Videtur dicendum consequenter quod non, quia, ex tali adiunctione ad istam multitudinem, portio uniuscuiusque est diminuta per intentionem sacerdotis sic adiungentis animam amici sui ad parochianos. Similiter, qua ratione posset addere unum ad centum, si tenetur pro centum parochianis, posset aequae principaliter pro ducentis. Consequens est falsum, quia sic defraudaret parochianos, quia non tantum valet duobus medietatibus sicut uni medietati etc., ut dictum est prius.

Contra: tunc melius esset morari in una parochia ubi essent tres, quam ubi essent mille. Consequentia patet per dicta.

Dico quod, pensando meritum quod provenit parochianis ex merito sacerdotis, videtur consequens esse concedendum, non tamen est melius simpliciter, ut patet.

Secundum dubium, an tantum valeat sumi a ieiuno, dico quod non in duplici casu. Unus est quando pransus est in periculo mortis: ne discedat sine viatico, tunc potest sumere. Alius casus est si sacerdos deceptus dixerit verba consecratoria super panem non triticeum, et in perceptione percipiat quod hostia non fuit de tritico; ille, non obstante quod solvit ieiunium, debet accipere aliam hostiam idoneam et eam consecrare. Et si vinum debitum prius consecrasset, debet illud, si possit, conservare. Et iterum aliud vinum in alio calice cum hostia consecrare, et totum sanguinem, scilicet primum et secundum, sumere cum hostia. Si autem nullo modo posset illum sanguinem conservare, non debet illum iterum consecrare, nec vinum illi commiscere, sed tantum hostiam consecrare, et ita ad sumptionem procedere. Eodem modo de sanguine, si ponat aquam loco vini, debet iterum consecrare, et aliam hostiam apponere, et a consecratione hostiae incipere, quia consecratio integra debet esse – Thomae ultima parte *Summae* <*Theologiae*>: „Perfecta videri non possunt sacramenta, nisi perfecto ordine compleantur”. In isto casu debet sumere, non obstante quod non sit ieiunus, quia praeceptum de integritate est maius quam preceptum de ieiunio. Et in istis casibus non oportet inferre praeceptum de ieiunio, quia minus praeceptum infringendum est, et obediendum maiori quod est de integritate sacramenti. Ista praecepta ponuntur *De consecratione*, distinctione 2 in pluribus capitulis. Secundum vero praeceptum de integritate sacramenti specialiter ponitur *De consecratione*, distinctione 2, duobus capitulis, scilicet capitulo *Relatum* et capitulo *Comperimus*. Ex quibus auctoritatibus patet quod tenetur ex praecepto perfecte sub utraque specie consecrare propter integritatem sacramenti – de qua perfectione habetur *De consecratione*, distinctione 2, capitulo *Nihil*. Item, ex praecepto tenetur, quoties consecrat, ieiunus sumere, *De consecratione*, distinctione 2, capitulo preallegato. Igitur, cum non sit per casum ieiunus, tantum oportet quodumat non ieiunus, quia praeceptum ieiunii est tantum de honestate sacramenti et reverentia, sed praeceptum de integritate est de substantia sacramenti, quia in duobus speciebus unum tantum consistit sacramentum. Et ideo non minus uni quam alteri provideri debet.

Ex quibus patet quod non est verum quod dicitur in *Summa confessorum*, libro 3, capitulo 24, quaestione 63 quod tantum in articulo mortis potest sumi a non-ieiunis.

Pono quod aliquis sacerdos post mediam noctem aliquid gustaverit: utrum posset in crastino celebrare? Dicit sanctus Thomas quod illa die non potest celebrare, quia tunc incipit dies – ultima parte, quaestione 8, articulo 6. Si sacerdos post dictas matutinas in sero gustaverit, utrum potest in crastino celebrare? Dicendum quod sic, quia nullibi inhibetur.

Ad primum principale, cum arguitur quod huiusmodi transsubstantiatio est impossibilis, dico quod non. Et ad probationem dico quod non manet panis nec aliqua pars eius. Et cum dicitur: 'vel substantia panis adnihilat etc.', potest dici quod conclusio est vera ad bonum intellectum, sic videlicet intelligendo quod substantia panis prius fuit, et modo nec est, nec erit, nec aliqua eius pars. Et quando aliqui dicunt quod non adnihilatur, sed convertitur in corpus Christi, dico quod volunt quod ad exprimendum congrue et explicite sacramenti miraculum non sufficit dicere quod panis adnihilatur, quia sic nulla mentio fit de existentia corporis Christi de novo in sacramento. Et ideo convenientius exprimitur miraculum sacramenti sub terminis istis: 'panis transsubstantiatur in corpus Christi', ubi exprimitur miraculum tam ex parte termini a quo quam ex parte termini ad quem. Et sunt duo distincta miracula: unum est quod substantia panis desinit esse sine actione corrumpente; aliud, quod corpus Christi incipit ibi esse cum speciebus remanentibus. Et isto modo utuntur doctores istis propositionibus: 'panis convertitur in corpus Christi', 'panis transmutatur vel trans[386b]it in corpus Christi', quia magis explicatur per eas miraculum sacramenti; et tamen nihil aliud per eas denotatur nisi quod ibi fuit substantia panis prius, et post ea desinit ibi esse virtute divina, sine activa corruptione creaturae, manentibus accidentibus, vel intentionibus, sive speciebus consimilibus.

Secundo, cum dicitur quod tunc Deus posset substantiam solis convertere in substantiam muscae et totam machinam mundi etc., sic periret tota certitudo experientiae etc., dicendum est quod Deus potest plus facere quam intellectus intelligere. Et ideo non est inconveniens concedere quod Deus posset totam machinam mundi convertere et facere existere sub speciebus unius muscae. Sicut enim potest facere duo corpora esse simul, ita duas medietates facere posset esse ubi modo est una medietas, et adhuc in loco medietatis illius medietatis. Nec est dare locum ita minimum ubi Deus non potest ponere maximum corpus.

Quantum ad certitudinem experientiae, credo quod nulla est certitudo creata ita certa de aliqua re praesenti, quin posset esse falsa per mutationem; tamen haec lateat me an sit vera, an falsa.

Contra: si neutrum scis, ergo habes dubitare. Dico quod dubitare dupliciter accipitur. Uno modo, ut distinguitur non contra credere, sed contra scire, vel cognoscere, et hoc modo qui neutrum oppositorum scit, dicitur dubitare de utroque, quia sic dubitatio compatitur secum credere, quia simul stant 'dubito istum hominem esse Petrum', et 'credo istum hominem esse Petrum'. Et sic concedo quod quilibet habet dubitare tales: 'hoc est lignum', 'hoc est sol', et sic de singulis, ut distinguitur a cognitione. Et concedo quod nulla certitudo excludens talem dubitationem est homini possibilis per naturam et experientiam. Alio modo accipitur dubitare ita quod talis cognoscens sit simpliciter indifferens ad assentiendum, vel non, sicut de ista: 'rex sedet', quae mihi simpliciter

neutra est, nec assentio, nec dissentio. Et sic non dubito tales: 'hoc est lignum', 'hoc est lapis', et sic de aliis. Quia sufficienter est mihi persuasum quod Deus talia non transmutavit, quia hoc non revelavit alicui, nec apparet quare hoc faceret, quia talia non facit sine magna utilitate sequenti.

Ad tertium, cum quaeritur de multitudine istorum accidentium etc., potest dici quod non potest ridere, intelligere, vel generare, quae sunt operationes substantiae animae. Unde potentia intellectiva est ipsamet anima. Similiter potentia generativa includit ipsam animam. Similiter potentia qua homo ridet. Si tamen poneretur quod tales potentiae essent accidentia, deberet concedi consequenter quod 'a' posset intelligere, generare etc., et facere omnes opera[387a]tiones illas quas potest homo.

Ad secundum principale, quando arguitur quod, si sic, tales essent concedendae: 'de pane fit corpus Christi', 'quod erat panis est corpus Christi', et huiusmodi, dico quod omnes illae sunt distinguendae in ista materia, eo quod ly 'de' potest dicere circumstantiam causae materialis, vel circumstantiam termini a quo conversionis. Primo modo sunt falsae. Secundo modo verae. Et est sensus: 'de pane fit corpus Christi', id est substantia panis erat sub istis accidentibus ante instans consecrationis, et in instanti consecrationis fit sub eisdem accidentibus corpus Christi virtute verborum sacerdotis, Deo operante. Et si huiusmodi propositiones inveniuntur, a doctoribus exponendae sunt ad bonum intellectum, quia si accipiantur proprie, falsae sunt. Si improprie, verae sunt. Verbi gratia, 'substantia panis est corpus Christi', id est sub speciebus panis sub quibus est modo substantia panis, erit corpus Christi. Similiter 'quod erat panis est corpus Christi', id est sub speciebus sub quibus erat prius panis, est modo corpus Christi.

Tunc ad primum, cum arguitur: 'de pane fit corpus Christi de novo; ergo corpus Christi fit de novo', accipiendo antecedens in sensu vero, consequentia non valet, sicut non valet: 'aqua fit calida de novo; ergo aqua fit de novo'. Et sic patet ad secundum et tertium.

Ad quartum, cum arguitur: 'haec esset vera: 'panis potest esse corpus Christi'', dico quod, si accipiatur proprie, falsa est. Si improprie, vera. Et debet exponi ut supra, et sic ponatur in esse: 'sub speciebus panis est corpus Christi'. Argumenta vero, quae sunt bene quatuor vel quinque, cum accipiant propositiones proprie, quo modo sunt negandae minores, non concludunt, nec responsio ibi posita valet. Similiter dico ad illos versus „Constat in altari etc.” quod versificator loquitur metaphorice et improprie, more poetarum. Unde uterque versus falsus est in sensu quem faciunt, et versus in sensu in quo fiunt, et exponitur per modum superius dictum.

Ad tertium principale, quando arguitur quod oculus Christi etc., quia ibi est oculus et medium dispositum, nego consequentiam, quia antecedens est verum et consequens falsum. Nec hoc probat argumentum. Causa quare consequentia non valet est quia non est idem oculum Christi, vel corpus Christi esse realiter et esse ibi situalliter, vel localiter, vel circumscriptive, quia denotatur quod dimensiones Christi applicentur dimensionibus panis, cum dicitur 'oculus Christi videt se in hostia'. Concedo tamen illam, quod oculus Christi videt manum suam in hostia. Similiter istam: 'Christus potest tangere manum in hostia', exponendo primam ad istum intellectum: 'oculus Christi videt manum [387b] quae est in hostia'. Sed ad istas: 'Christus potest movere manum suam quae est in hostia', 'oculus Christi distat a pede in hostia', et consimiles, posset dici quod sunt distinguendae penes amphibologiam, quia haec: 'Christus potest movere manum suam in hostia',

potest accipi pro ista: 'Christus potest movere manum suam, quae manus est in hostia', et hoc est certum, vel pro ista: 'Christus potest movere manum suam sic quod motus ille fit ab hostia', et hoc est falsum.

Ad secundum, de linea quae est longitudo corporis Christi, dico quod non est alia res nisi corpus Christi. Tamen iste terminus 'longitudo corporis Christi' connotat aliam rem quam corpus Christi, quia significat corpus Christi et cum hoc quod inter caput et plantam fit distantia. Et ideo tota longitudo Christi et latitudo et profunditas est in sacramento. Sed non est ibi longitudo Christi, nec latitudo, hoc est latitudo Christi, quae est realiter corpus Christi, non est dimensionabiliter nec localiter ibi, sic quod in loco hostiae sit pars Christi distans ab alia parte Christi.

Tunc, quando quaeritur an illa linea est recta an curva, potest dici quod non est curva, vel recta, quia non est ibi linea, sed linea est ibi. Et linea curva, vel recta est ibi, hoc est longitudo est ibi, sed longitudo illa non est ibi longitudo. Hoc est dictu: 'res quae est longitudo ista realiter est ibi, sed longitudo non est ibi sic quod sit longitudo ibi, sed bene est longitudo alibi'.

Contra: corpus Christi aut est divisibile, aut indivisibile; si divisibile, ergo est ibi corpus Christi extensum; et ultra: ergo est ibi localiter; si indivisibile, contra, sequitur: corpus Christi est ibi indivisibile, ergo corpus Christi est indivisibile.

Dici potest quod corpus Christi est indivisibile ibi, et haec est falsa: 'corpus Christi est ibi extensum, vel divisum secundum substantiam partium. Et si arguitur sic: corpus Christi est ibi non extensum, ergo corpus Christi est non extensum, consequentia patet. Sed contra arguitur: corpus Christi est ibi non extensum, ergo corpus Christi non est habens partem extra partem; ergo corpus Christi non est ibi corpus. Si consequens accipiatur proprie, debet concedi, quia sensus est: 'non est ibi corpus Christi habens partem extra partem secundum longum, latum et profundum', et sic manifestum est quod est verum. Si autem consequens exponatur per istam: 'corpus Christi non est ibi res quae est corpus Christi', consequens est falsum et consequentia non valet, et sic patet ultra ad omnes alias propositiones.

Ad secundum dico quod figura corporis Christi est ibi, sed figura corporis Christi non est ibi figura corporis Christi.

[388a] Ad quartum principale, quando quaeritur an videmus ibi corpus, an non, dico quod tales propositiones: 'video corpus', 'tango corpus', non debent negari in sensu in quo fiunt, quia sensus est: 'sub speciebus visis et tactis est corpus Christi'. Et non est sensus quod illud quod immutat ibi visum, ut obiectum visus vel tactus, est corpus Christi, quia fide tenemus quod species videntur, tanguntur, franguntur et quod visio, fractio, et huiusmodi est in speciebus, non in corpore. Similiter immutatio visus et multiplicatio speciei ac obiecti est a speciebus tantum, et non a corpore. Unde *De consecratione*, distinctione 2, *Qui manducant*: „Panis est et calix quod oculi renuntiant, quod autem fides expostulat instruenda. Panis est corpus Christi, calix sanguis.” Et ideo ista dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, et aliud intelligitur. Quod videtur, habet speciem corporalem; quod intelligitur fructum habet spiritualement. Ubi manifeste dicitur quod species videtur et corpus Christi sub speciebus non videtur, sed intelligitur. Unde proprie loquendo non debet concedi: 'tetigi corpus Christi', 'vidi corpus Christi', nec 'ipsum corpus Christi tetigit me', 'corpus

Christi immutat visum meum'. Tamen loquendum est ut plures, dum tamen habeant sanum intellectum.

Ad quintum principale, quando arguitur de intentione sacerdotis habentis coram se sex hostias, dico probabiliter quod pro tunc non consecrat, quia actus consecrandi requirit intentionem determinatam circa certam materiam. Unde, cum dicitur quod ibi est intentio, dico quod non. Et, cum arguitur quod intentio indeterminata sufficit, quia, cum sacerdos consecret hostiam, consecrat infinitas partes, quia ista hostia est infinitae partes, dici potest quod habet determinatam intentionem consecrandi infinitas partes hostiae, quia illa hostia est infinitae partes, et istam intendit determinate consecrare etc. Similiter, quando sacerdos consecrat multas hostias, sicut in die Pascae, non requiritur quod sciat numerum hostiarum, sed sufficit intentio consecrandi multitudinem istam. Unde intentio formata per copulativam mentalem, vel vocalem, quae aequivalet copulativae, sufficit, sed intentio formata per disiunctivam mentalem non sufficit, quia illa est intentio magis vaga, cum qua stat quod nullum panem vel hostiam intendit consecrare.

Ad secundum, quando arguitur de errante circa compositionem continui et quaeritur utrum consecrat, an non, potest dici quod talis non consecrat, quia non habet intentionem debitam. Requiritur enim quod consecrans intendat consecrare panem visibilem et tangibilem, qualis non est panis indivisibilis.

Contra: credat talis quod omne indivisibile est sensibile vel visibile, et intendat tunc consecrare [388b] unum indivisibile precise. Nunquid consecrat? Potest dici quod sic, quia non omnis falsitas quae implicatur in intentione consecrantis impedit consecrationem, quia cum isto errore quod indivisibile sit sensibile stat quod veraciter intendat consecrare panem visum a se.

Ad tertium, quando arguitur quod intendit consecrare omnes partes proportionabiles denotatas a numero impari etc., potest dici quod talis consecret omnes partes, quia quodlibet quod ispe intendit consecrare est panis. Et cum dicitur quod ipse ibi facit infinitos panes in actu, quia inter quoscumque duos panes mediat unus homo, potest dici quod non sequitur quod ibi sunt infiniti panes eo modo quod Philosophus loquitur 3 *Physicorum*, capitulo *De infinito*, quia sic requiritur non solum quod discontinuetur a substantia cui fuit continuata, sed quod qualitates suae vere discontinuentur a qualitatibus quae fuerunt in pane iam transsubstantiato. Et quia manet vera continuatio in accidentibus istius hostiae, ideo nullus panis est factus in actu magis in fine consecrationis quam ante. Et cum dicitur: 'inter quoscumque panes mediat unus homo', ego concedo, et concedo quod isti panes sunt discontinuati, quia nullus continuatur alteri. Tamen quia remanet una qualitas, ideo non sunt illae due partes reductae ad actum, secundum modum loquendi Aristoteli, 3 *Physicorum*. Vocando tamen esse in actu 'esse unam rem' vel 'substantiam alteri omnino non continuam', potest concedi conclusio quod ibi sunt infinitae substantiae in actu. Sed cum quaeritur de tangente superficiem remanentem versus quam fit progressio partium proportionabilium an talis tangit corpus Christi, an panem, potest dici quod simul tangit panem consecratum et panem non consecratum, quia immediate iuxta manum est panis consecratus.

Aliter potest dici ad argumentum a principio quod talis non consecrat, quia est dare aliquam partem proportionabilem insensibilem, quae, si virtute divina esset consecrata, non esset sensibilis, et nullus debet intendere facere distinctum sacramentum per se, sed debeat intendere consecrare

panem insensibilem inexistentem totaliter per se, quia talis pars non potest esse sacramentum determinatum, quia non habet species sensibiles. Ad quodlibet enim sacramentum determinatum requiritur distantia et sensibilitas specierum, et ideo, licet potest consecrare quodlibet 'a' consecrando totum, et sic facere unum sacramentum de toto, tamen non potest consecrare quodlibet 'a' distincte, quia quodlibet 'a' non potest esse distinctum sacramentum. Ideo talis intenderet impossibile et, per consequens, non facit quod intendit; tamen consecrat unam multi[389a]tudinem 'a' ad cuius notitiam ipse non potest veraciter devenire, et illa multitudo est finita.

Ad quartum, de intentione huius qui vult consecrare de carne, et depicitur, potest dici quod non consecrat, quia habet intentionem repugnantem sacramento, quia requiritur talis intentio: 'volo consecrare panem, et credo illud esse panem, de quo intendo consecrare'. Et ideo, licet non oportet conserantem formare istam copulativam mentalem in actu, tamen requiritur quod non habeat intentionem repugnantem isti copulativae. Si tamen intenderet: 'volo consecrare hoc quicquid fuerit', potest esse dubium an consecraret. Et posset dici quod requiritur in consecrante opinio de essentia panis, et intentio ad consecrandum panem, et nihil aliud. Unde qui dubitat, hoc est non credit ibi esse panem, nec habet intentionem debitam, nec consecrat.

Ad quintam, quando arguitur de sacerdote prius consecrante species panis, et postea furtive auferente illas species etc., dico quod sic. Tamen, si probetur in foro iudicii contra eum, tenetur fateri fraudem suam; non tamen debet laico restituere illas species, licet habeat illas, sed valorem. Non valorem sacramenti, quia hoc non potest, sed valorem panis ante consecrationem; tamen debet negare se abstulisse panem.

Ad sextam patet per praedicta.

Ad septimam, cum dicitur: 'non requiritur intentio, quia tunc haberet dubitare quilibet in elevatione an debeat adorare, an non', dico quod non debet dubitare, distinguendo 'dubitare' contra 'credere', sed credere debet quod sacerdos bona fide facit et adorare secure. In illa tamen adoratione intelligitur conditio, puta si consecratum est, et ideo nullum periculum est etiam hostiam non consacratam adorare, quia non adorat nisi sub conditione tacita ibi subintellecta. Unde Ecclesia absolute et publice adorat sine conditione adiecta, non tamen sine conditione subintellecta.

Ad sextum principale, cum quaeritur quomodo forma consecrandi sit vera etc., ubi dico tria. Primum, quod utuntur propositione ac si esset res permanens et tota simul in ultimo instanti prolationis, et sic dicimus quod propositio est vera, vel falsa. Secundo, dico quod in ultimo instanti prolationis istius orationis: 'hoc est corpus meum etc.', est sub istis speciebus corpus Christi et pro illo instanti facit sacerdos demonstrationem ad intellectum, cum dicit: 'hoc est enim corpus meum'. Unde non intendit demonstrare aliquid quod est ibi realiter quando profert illud pronomen 'hoc', sed intendit demonstrare illud quod erit in fine prolationis. Tertio, dico quod non dicit illa verba in persona sua, sed in persona Christi. Unde non loqui[389b]tur de corpore suo, sed de corpore Christi, ex quibus patet quod ipse dicit verum, quia, si Christus diceret ea, diceret verum, et ipse in persona Christi dicit illa, ideo dicit verum, ad vulgarem modum loquendi. Unde manifestum est ex serie verborum quod sacerdos profert illa verba recitative de Christo. Narrat enim quod dedit

discipulis suis dicens: 'accipite et comedite, hoc est enim corpus meum'. Patet ergo quod sacerdos non dicit falsum, quia non dicit esse corpus suum, sed dicit quod est corpus Christi, quia recitat Christum hoc dixisse. Et cum quaeritur quid demonstratur per ly 'hoc', dicitur quod fit demonstratio in uno instanti pro alio instanti, et demonstratur corpus Christi quod est in fine sub illis speciebus.

Aliter potest dici probabiliter quod hoc pronomen 'hoc' nullam demonstrationem facit, quia tenetur recitative, et quasi materialiter sumpta dicuntur illa verba a sacerdote. Unde, si recitarem dictum Christi, et dicam quod Christus dixit Petro: *tu es Petrus*, manifestum est quod non utor hoc pronomine 'tu' significative, sed tantum recitative et materialiter accepto. Et haec videtur opinio Innocentius in libro suo *De officio missae*, parte 3, capitulo 6 et 9.

Sed contra arguit Thomas, 4 *Sententiarum*, distinctione 8. Primo, quia si sic, illa verba a nullum ordinem haberent ad praesentem materiam, et sic non accederet verbum ad elementum ut fieret sacramentum; quod est tamen requisitum ad sacramentum, secundum Augustinum. Secundo, quia eadem difficultas manet de verbis Christi, quando Christus ea protulit.

Ad primum negatur consequentia, quia placet Deo quod ad recitationem verborum istorum cum intentione consecrandi, id est cum voluntate¹, Deus transsubstantiet materiam debitam, et fiat transsubstantiatio. Et sic accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.

Ad secundum de verbis eisdem prolatis a Christo potest dupliciter dici. Primo modo, quod Christus fecit demonstrationem ad intellectum et ad sensum simul in uno instanti pro alio instanti, tenendo quod ipse per illa verba consecravit. Vel posset dici quod virtute divina consecravit, ita quod in instanti intrinseco ante tempus prolationis istorum verborum fuit ibi verum corpus Christi, et quod illa verba postea dixit, ut discipulis suis fieret doctrina de forma consecrandi. Ad alia non vacat respondere modo. Et sic patet ad quaestionem.

¹ voluntate] *add.* quod